

De poena eorum, qui spe majoris lucri et stipendii ad exterorum Dominorum et Provinciarum servitia sese conferunt.

A r t i c u l u s 22.

§. 1. Ne nimirum hoc anno ullus ex Ungaris, vel Croatis et Sclavis, ad exterorum Dominorum et Provinciarum, (excepto Summo Pontifice, qui eodem stipendio, ut supra dictum est, militem Ungarum conscribere poterit) stipendia, vel servitia se conferat et in numerum Cataphractorum, vel Archibuserorum et Kozakorum se conscribendum curet.

Supplicant Status Regni Majestati Caesareae, ne Dominum Comitem Georgium de Zrinio, in exercenda in bonis suis Dalmaticis eorumque portibus mercatura, molestari permittat, sed locum depositionis illi benigne conservet.

A r t i c u l u s 32.

Dominus Comes de Zrinio conquestus est, se habere in Dalmatia circa littora maris Adriatici certas Arces, ut Grobnyk, Bakar et Hrelin *), quibus ipse et Pater, ac Majores ejus cum omnibus vectigalibus aliisque pertinentiis libere usi sunt:

§. 1. Sed non ita pridem, Officiales et Tricesimatores Serenissimi Archi-Ducis Ferdinandi, in terra Fluminis constituti, ipsum molestare inceperunt, non permittendo Mercatoribus Venetis et aliis Italis eo merces advehere et eas aut permutare, aut vendere, solutis iis, quae debent solvi: Cogentes eos, illinc ad terram Fluminis Sancti Viti accedere.

§. 2. Imo, si quos deprehendunt in portibus dicti Domini Comitis mercaturam exercere, eos variis modis damnificant.

§. 3. Quas ob violentias, licet Serenissimum Archi-Ducem Ferdinandum se requisivisse dicit; nullum tamen remedium adhibitum.

§. 4. Quapropter Status et Ordines Majestati Suae Caesareae, ac Serenissimo Archi-Duci supplicant; dignetur antiquum usum exercendae in suis portibus mercaturae, nec non locum depositionis dicto Domino Comiti conservare; ac Serenissimo Archi-Duci scribere; ne hanc violentiam (quae etiam limitibus, ac foederibus Regni, ac locis depositionum praejudicat) a suis hominibus fieri permittat: Ac committat Dominis Banis; ut ipsum Dominum Comitem in suis justis juribus defendant.

Colonis Sclavonicis liber in Patriam suam reditus; ac colonorum libera ubique migratio juxta antiquas Constitutiones concessa.

A r t i c u l u s 36.

Statuunt etiam Regnicolae; quod coloni illi, qui e Sclavonia hisce proximis annis metu Turcarum aufugerunt; jam pacatori Regni illius statu per illos Do-

*) De novioribus finibus Dalmatiae, in qua hae Arces esse dicuntur; Vide P. Samuelis Timon, Imaginem Ungariae Novae, pag. 207. et seqq. Ferunt Comites de Zrinio, quinquaginta Arces et Dominia, per Illyrici Regna possedisse.